B. N. C.
FIRENZE
1037
17

1037 · 17

XXXIV.
OCL.

1037 17

THEMATA SELECTA
EX VNIVERSA THEOLOGIA
Ad mentem Subtilium Coriphæi
IOANNIS DVNS SCOTI
Theologorum Principis


DEDICATA

SERENISSIMÆ CELSITVDINI
COSMI III.
MAGNI ETHRURIÆ DUCIS

In Comitijs Provincialibus habitis Florentiæ à R.R. P.P. Reg. Obſ. Almæ Provinciæ Ethruriæ.

Propugnante Fratre Patritio Collino artium Lectore, ſub aſſiſtentia R.P. Bernardini O Clery Hiberni Lect. Gener. et Cathedræ præſidentis.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872



LVCÆ, Typis Mareſcandoli. 1698. *Sup. Permiſſu.*

1037.17

SERENISS.^ME MAGNE DVX.

NOn abs re Theologia noſtra te Patronum affectat, te Mecenatem ambit ſuum (DVX SERENISSIME) ſiquidem ſolo ipſo tuo amabiliſſimo conſpectu recreata, ipſa ingentes ſibi animos facit, illuſtremque ſibi de quibus, habebit aduerſarios pollicetur triumphum, vel ſaltem non mediocres ex vmbratili hoc noſtro conflictu te duce, te auſpice plauſus expectat; ſub tui etenim Sereniſſimi nominis vmbra nihil non arduum aggredietur, quidquid difficile penetrabit, quidquid obſcurum dilucidabit, quidquid abſtruſum, et abditum pervadet, pervium, clarumque reddet; habes enim (Princeps Optime) ſiue bello, ſiue pace, ſiue toga, ſiue armis, ſiue tiaris fulgentibus, ſiue ſceptris micantibus communi omniũ conſenſu inter nobiliſſimas totius Europæ Familias generis conſpicuitatem, et celeberrimorum virorum ſplendorem Sanguinis, qui maieſtosè tibi per venas currit, et quo nos noſtramque Theologiam colluſtrabit, quorum ſeriem ne (vt aiunt) acta toties ab alijs agam, non texam, aliter quam dicendo.

Si genus excutias celebres ab origine longa.
Vſque per innumeros inuenietur auos.

Scio etenim licet tibi claritatis ſatis illi attribuerunt, tu tamen illis non minus ſplendoris proprijs virtutibus addidiſti: vnde verius poſſis dicere cum Naſone, Aut genus, aut proavos, aut quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra voco. Et concinne (Princeps prudentiſſime) qui æſtimas cum ſapientibus nobilitatem veram in actione virtutis, et veritatis contemplatione conſiſtere. Hinc tibi omnium virtutum chorus, et imprimis prudentia, cuius beneficio futura cuncta proſpicis, omnia conſulta mente gerenda regis, et perfectionis ſtatum iam aſſecutus nutantes ſubditorum greſſus inter anfractus, ſalebraſque viarum huius ſæculi ad tutum dirigis portum. Tranſeo tuam temperantiam, qua in mortali corpore vitam degis Angelicam, pratereo tuam iuſtitiam a recto tramite aberrandi neſciam, quaque tuos iudices et miniſtros ritè Probus Ambroſios elligis. De pietate, regia liberalitate, et eximi charitate nihil dicam; quid enim hæ in te præſtant communi documento, ſingulari merito dignoſcitur, Domi religio, fo-

ris æquitas, diuini honoris zelus, fidei propagandæ ſollicitudo, Orphanorum, et Viduarum patrocinium, bonorum, et innocentium protectio, malorum autem depreſſio. Verè (Piiſſime Princeps) perſpicua eſt in te charitas, qua gemino quaſi brachio Deum ipſum, et hominem viuam Dei imaginem, pro quo eius filius vnigenitus paſſus eſt vna complecteris. Ab hæc nullibi gentium latet, vel quæ ſunt à Gadibus, vſque Auroram et Gangem, immo et vltra, nam bene eam expertus eſt,

Et penitus toto diviſus orbe Britannus,

Dum Noſtrates ob ingrauaſcentes hæreticorum perſecutiones, et rabiem in Fidei catholicæ cultores inſatiabilem, natiuo ſolo exules et omnibus bonis expoliatos, ope, pecunia, et omni qua par fuit ratione fouiſti, ſvbleuaſti, et conſolatus es; ob quod, ſemper honos, nomenque tuum laudeſque manebunt, qua nos cumque terra vocet. *Sileo inſignem tuam rerum diuinarum notitiam, ingenteſque illos ſcientiæ, et ſapientiæ teſauros, quos in tuo animo reconditos habes, cæteraſque virtutes hæroicas, quibus ab adoleſcentia imbutus fuiſti, non quod eas neſciam, ſed quia non delectaris audiendis laudibus tuis, ſed faciendis ijs, quæ laude digna ſunt: et ſi his paucis, quæ retuli tibi fui moleſtus, tua benignitas dabit veniam, cui repeto illud philoſophi, ad Magnum Macedonem* Princeps Magnanime tuis encomijs diſce veritatem pati, quam in omnibus alijs maximopere deſideras. *Cæterum vti vehementer cupio nos tuæ Celſitudini commendatos, ſic maiorem in modum deſidero, vt Deo benedicto, et Christo Domino ſis ipſe commendatiſſimus, qui te ſoſpitem ſeruent, atque incolumen, et vera tandem felicitate conceſſa coronantes dona in te ſua, coronent merita quoque tua; quæ augere in dies illuſtrioraque reddere non ceſſas, ita optat, et ex animo perorat is, qui qua poteſt obſeruantia erit* viua dum carpitur aura.

Celſitudinis tuæ.

Obſequentiſs. Cliens, et Humiliſs. Servus.

Fr. Bernardinus O Clery Hibernus.

Ex Prologo Sententiarum,

I.

PAter miſericordiarum Deus optimus maximus volens ad perfectum ducere, quem condidit hominem multifariam, multiſque medijs(teſtante Spiritu Sancto) eum locupletaverat, cui inter alia Sacram Theologiam veluti Engyſcopium, quo æternos Empyrij calles, præcipiteſque Auerni caligines, quo illius ſacriora dogmata, et huius errorum ſartagines ex æquo perſpiceret; non tam ad dirigenda viatricis creaturæ in finem ſupernaturalem opera, quam ad penetranda primæ naturæ opificis penetralia in Sacroſanctis ac canonicis ſufficientiſſimè tradidit ſcripturis, inter quas nullo dubitante catholico sẽper erant recepti libri Pentatcutici.

II. Librum Eſter aſſerimus canonicum, quidquid ſcripſerunt olim in contrarium Melito, Athanaſius, et Sanctus Gregorius Naziazenus, ſicut et Baruch, danilis, duoſque Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, duoſque Machabeorum, Spretis Iudeorum, Magdeburgenſium, Calvini, et aliorum Hæreticorum latratibus.

III. Hæretici eſt in dubium revocare, vt olim (referente Sancto Hyeronimo) caput ultimum Marci, ſicut cum Marcioniſtis, et Ariannis reijcere Pauli ad Hæbreos, Iacobi, et Petri ſecundam, poſtremaſque Ioannis, et Iudæ, aut cum Alogianis, et Teodotianis (plangente Ephiphanio) Apocalipſin ſancti Ioannis.

IV. Theologia eſt habitus ſecundum ſubſtantiam naturalis, quo inſtructa, et expolita viatrix cuiuſcunque ingenij acies fulgentiſſimas diuinæ veritatis faces pertingit, ſcientiæ dignitate per ſe potitur, ſcientiæ tamen

munere ac ſtatu in viatore non gaudet, nec divinæ aut beatificæ ſubalternatur. Rationes formales practici circa neceſſaria, ac ſpeculatiui in Deo circa contingentia cōplectitur, in beatis autem, et viatoribus practicam rationem ſolum induit. Cuius obiectum attributionis eſt Deus benedictus, ſub ratione præciſa qua Deus, qui licet omnium bonorum perennis ſit fons, et in ſe notiſſimus, nulli tamen viatorum ſub ratione propria ex proprijs pateſcit; etiamſi diſcurſu naturali piè teneamus quamplures gentiles Philoſophos vnius primæ cauſæ evidentem demonſtrationem perfeciſſe.

Ex Primo Sententiarum.

V.

PRimum conſtitutiuum formale Dei qua tale, eſt aſſeitas poſitiua, ad quam ſequitur negatio eſſendi ab alio ſiue per influxum Phyſicum, ſiue per emanationem Metaphyſicam: inter eſſentiam diuinam, et attributa concedimus diſtinctionem formalem, vel ſi mavis non identitatem formalem: realitatem realem entis Deo, et creaturæ univocam, et a parte rei ab ambobus præſciſam admittimus, nec hoc ſimplicitati divinæ vllo modo repugnat. Immenſitas Dei formaliter non cognoſcitur per eius operationem, undè ablata omni potentia divina non aliter aufferetur eius ubiquitas quam conſequtiuè. Suæ æternitati (licet infinita ſit, et indiuiſibilis) futura, et præterita nequeunt eſſe præſentia Phyſicè.

VI. Naturaliter loquendo non eſt poſſibilis demonſtratio poſitiua poſſibilitatis viſionis beatæ, ad quam licet requiratur lumen ſupernaturale elevativū potentiæ, non tamen ita indiſpenſabiliter, quin in alio rerum ordine poſſet ſuppleri eius cauſalitas, non eſt tota ratio agendi reſpectu viſionis beatificæ, quæ non conſiſtit formali-

maliter, in actu intellectus, ſed in actu voluntatis, et cum amor beatificus ſit ab intrinſeco liber, ablata manutentia diuina, beatus ad amandum, vel non amandum Deũ eſſet liber, qui poteſt videre eſſentiã nõ viſis perſonis, et probabiliter unã perſonam, non viſa alia ſui nõ correlativa, poſſibilis eſt ſpecies impreſſa diſtnctè repræſentans eſſentiam Divinam ominò ab oculo corporeo inviſibilem.

VII. In Deo benedicto eſt ſcientia per modum actus ſecundi, quę non bene probatur ex eius immaterialitate: omnia poſſibilia, et futura ſiue abſoluta, ſiuè conditionata cognoſcit in ſua eſſentia, illa non tanquam in cauſa, ſed in eminenter continente, nec hæc ſcilicet futura per præſentiam in æternitate, nec in ſuis ideis, nec per decretum prædeterminans, nec per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, nec per ſcientiam quam vocant mediam; Sed per decretum concomitans, abſoluta per abſolutum, conditionata per conditionatum, hinc ſcientia Dei non eſt causa rerum ad extra taliter vt hæc propoſitio eſt vera, *Ideo res non ſunt* futuræ, *quià præſcitæ, ſed ideo præſcitæ quia futuræ*, ita tamen quod *ly ideo* intelligatur cum grano ſalis, ſcilicet vt importet tantum notionem conditionis ſine qua non divina ſcientia determinetur ad res futuras, et non propriæ, aut veræ cauſę, proindeque ſuſtinemus ipſam voluntatem divinam eſſe principium productiuum ad extrà negata omni potentia executiua ab ea vllo modo diſtincta, quæ Eſſentiam Divinam omnium perfectionum pelagus liberrimè, ſimul et neceſſariſsimè amat, liberè, vero et contingenter res futuras, et exiſtentes creatas, non determinat ab æterno efficaciter actus malos creaturæ antecedenter ad liberũ ſuum conſenſum. Nec in tempore prædeterminat Phyſice voluntatem ad illos eliciendos.

VIII. Omnes actus ſupernaturales meritorij ſiue de

congruo, ſive de condigno ſunt effectus prędeſtinationis, imò vt animoſo cōplector verbo, affirmo permiſſionem peccati, (diuini ſlante buccina Pauli, *quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*) et totam ſeriem rerum naturalium, et ſupernaturalium eſſe prædeſtinationis effectum, eo modo quo ad exequendam gloriam poſſunt conducere. Prædeſtinatio non eſt tranſmiſſio creaturæ rationalis ad gloriam, ſed potius electio, quæ fit dependenter a præuiſis meritis, ſicut et reprobatio fit ex præviſis demeritis, non quod Deus de ſuis facere non potuerit, quod voluerit, ſiue in contumeliam, ſiue in honorem, vt ait Apoſtolus, ſed quia talis modus prædeſtinandi, et reprobandi eſt magis conducens diuinæ miſericordiæ, *cui proprium eſt miſereri ſemper et parcere*.

IX. Deus nitore perpeti, et immarceſibili ſplendore micans ad ſe perfecte communicandum inhians, nequit non totum, quo fulget diuinitatis jubar impertiri duabus communicationbus perfectiſſimis ad intra, quarum prima, non eſt actus intelligendi, ſed dicendi notionalis, quo producitur filius, qui ſolius patris ex vi ſuæ proceſſionis eſt imago, cuius productio cum prior creaturis in eſſe cognito, nullatenus ex earum cognitione procedit. In verbo divino exinde nullus reſpectus realis eſt admittendus ad creaturas. Parili ratione Spiritus Sanctus non ex ullo amore creaturæ oritur, ſed ex voluntate fæcunda, quo titulo nequit dici filius, qui etiamſi a filio non procederet, adhuc ab eo realiter perſonaliter diſtinctus euaderet, immo non ex vi proprietatis characteriſticæ, ſed ſecundum ordinem ſuppoſitorum poſtulat a duobus produci, quos ſpiratores nefas, ſpirantes dicere fas eſt.

X.

CReare eſt ita proprium deo,ut nequeat per quamcũque potentiam creaturæ conuenire. An habitus ſupernaturales creantur, vel potius educantur problematice ſuſtinemus. Quidquid dicat doctor Seraphicus, negamus Angelos componi ex materia,& forma, ſicut,et poſſe mouere naturaliter ab uno loco ad aliũ non tranſeundo per medium; poſsũt accipere ſpecies ab ipſis objectis materialibus, accipere tamen non poſſunt ſpeciẽ repræſentantẽ infinita obiecta, ſeu finita diſparata,comuni prouidentiæ relicti potuerunt a primo creationis inſtanti peccare. Peccantium primum peccatum fuit luxuria Spiritulalis, ſeu philautia, qui propterea merito puniuntur igne infernali, licet tantum intentionaliter,quorum obſtinatio in malo ſolum prouenit ex defectu diuinorum auxiliorum carentia, quæ ratione ſtatus ipſis denegat juſtiſſimus Deus, qui ipſos ad gratiam abſolutè reuocare, poteſt.

XI. Perſeuerante innocentia originali non iræ filij, ſed omnes naſceremur electi, qui, ſicut et ptotoparens in quocunque Statu potuiſſemus prius peccare venialiter,quam mortaliter. Peccatum originale non eſt peccatum primi parentis in natis moraliter perſeuerans, ſed eſt defectus iuſtitiæ debitæ, et gratiæ Sanctificantis, quæ duo inter ſe diſtinguntur; diſcedentes cum ſolo originali [refragante noſtro Tumenſi] ſola pœna damni puniuntur.

XII. Moralitas in actibus humanis eſt denominatio extrinſeca, conſcientia probabilis eſt regula ſufficiens, non tamen ſemper expediens, quia non in omni materia licet ſequi opinionẽ probabilem, et minus tutam,relicta probabi-

babiliori, et tutiori; actus humani ſpecificantur ex obiecto, fine, et circumſtantijs. Dabiles ſunt actus indifferentes non ſolum in ſpecie, ſed etiam in indiuiduo. Implicat produci a Deo qualitatem aliquā facientem libere operari intellectum, aut aliam cogentem naturaliter operari voluntatem.

XIII. Peccatum mortale [cuius conſtitutiuum formale conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ] formaliter non diſtinguitur a veniali per hoc, quod tendat contra ultimū finē, veniale autē contra media ad finē, aut quod ſit grauis offenſa Dei, et veniale leuis, ſed eò præciſe quod mortale ſit priuatio rectitudinis neceſsariæ ad conſequendū finē beatificantē, veniale vero rectitudinis non neceſsarię ad talem finem, ſed tantum utilis. Veniale cū mortali coniunctum non punitur in inferno pęna ęterna, ſed tantum temporali. Nullum mortale in ratione offenſæ includit intrinſece malitiam infinitam. Sola Eua peccante gens humana præter ipſam foret immunis a peccato originali, quo de facto nemo viatorum eſt expers, aut fuit, ſaluâ Beatiſſima Virgine, quæ tota pulchra, ab omni actuali et originali culpa fuit libera.

Ex Tertio Sententiarum.

XIIII.

DEus de Deo velut ſol ex Leonis ſigno ad Virginem tranſmigrans nubem leuem irradiauit libere carnem ſumendo, et licet hoc myſterium naturalis ingenij metas tranſcendit, tamen ex se fuit poſſibile, tam ex parte verbi, quam ex parte naturæ aſſumptæ, et vnionis eiuſdem ad verbum divinum, cuius ſubſiſtentia ſubſiſtit, non tamen eius exiſtentia exiſtit, ſed propria, ſicque ab vna perſona eſt aſſumpta, ut de potentia dei abſoluta nequeat a pluribus aſſumi ſiue perſona in poſitiuo for-

formaliter cōſiſtat, ſiue non. Eſſentia Diuina præter relatiuas, propria fruitur ſubſiſtentia abſoluta. Iuſtificatio eſt effectus formalis gratiæ ſantificantis, non phyſicus, ſed moralis, cum gratia, et peccatum moraliter tantum opponantur, unde in eadem anima de potentia abſoluta ſunt componobilia, qua etiam potentia Deus Benedictus valet remittere peccatum ſine infuſione gratię, aut alterius formæ intrinſecæ, ſiue fidei, ſiue charitatis, cuius habitus non eſt diſtinctus ab habitu gratiæ.

XV. Licet Chriſtus Dominus de facto propter nos, et noſtram ſalutem venit, adhuc tamen vi præſentis decreti veniſſet protoparente non peccante. Iſtæ propoſitiones ſine vlla improprietate ſermonis ſunt veræ, homo Deus factus eſt, Homo Chriſtus incepit eſſe &c. Impeccabilitas chriſti Domini proximè, et formalitèr habuit ortum a viſione beata, et non ab Vnione hypoſtatica, quę ex ſe compatitur cum potentia proxima peccandi, quam de facto chriſtus Dominus non habuit, licet bene remotam, quæ fuit ſufficiens ad meritum, quod non fuit infinitum ab infinita dignitate perſonæ chriſti Domini merentis; cuius ſatisfactio non fuit ex toto rigore iuſtitiæ pro peccatis filiorum Adæ, pro quibus poterat pura creatura ſatisfacere ad æqualitatem de condigno. Chriſtus non poteſt appellari filius Dei adoptivus, aut naturalis, ſed proprius: eſt filius Beatæ Mariæ Virginis, non per filiationem æternam exiſtentem in chriſto Domino, cuius Sanctiſſima humanitas eſt adoranda adoratione latriæ ut terminus, non verò vt ratio formalis.

XVI. Fidei infuſæ aſſenſus eſt naturalis quoad ſubſtantiam, licet non quoad modum; authoritas Eccleſiæ, miracula, immo ipſa Dei reuelatio non ſunt motiua formalia fidei diuinæ, ſed tantum conditiones: vnde fides noſtra non poteſt in ea vltimatè reſolui, ſed in veritatem

Dei

Dei non in eſſendo, ſed in dicendo, unde veracitas divina erit obiectum formale fidei noſtræ, et à nobis etiam fide ſupernaturali credibilis. Concluſio deducta ex una naturali, et altera credita terminat tantum aſſenſum Theologicum, deducta verò ex duabus propoſitionibus reuelatis aſſenſum fidei, quæ cum evidentia in atteſtante ſtare poteſt, eſtque neceſſaria neceſſitate medij non ſolum ad beatitudinem, ſed etiam ad iuſtificationem omnium uſum rationis habentium, ſaltem quantum ad fidem explicitam Chriſti Domini mediatoris, divinitatis, mortis, reſurrectionis iam poſt ſufficientem evangelij promulgationem.

XVII. Ipſe Deus, non beatitudo, nec auxilium omnipotentiæ divinæ paratæ illud nobis conferre, eſt obiectum ſpei Theologicæ. Deus poteſt reuelare ſuam damnationem præſcito, ſicut et iuſto ſuam prædeſtinationem, primus in caſu poſito non teneretur ad ſperandum beatitudinem, licet poſſet eam deſiderare. Obiectū formale charitatis eſt ipſe Deus vt in omni genere perfectus, actus eius in via, et in patria diſtingūtur ſpecie, amor amici cæteris paribus eſt magis meritorius, quā amor inimici, nec ullius, aut alterius odium ullo tempore fuit licitum, undè vetus illa ſententia Saluatoris in Matthæo memorata, *odio habebis inimicum tuum*, eſt additio Phariſaica, et non Canonica, præter virtutes Theologicas non dantur vllæ morales per ſe infuſæ.

Ex Quarto Sententiarum.

XVIII.

SAcramenta non cauſant phyſicè gratiam, ſed tantum moraliter, quorum aliqua imprimunt characterem, vt vaticinatum fuit per Iſaiam prophetam cap. 66. *omnes gentes veniunt ad me, et ſignaui eos*, non fuit idem

Sa-

Sacramentum in lege naturæ, et in lege ſcripta, in qua circumciſio conferebat gratiam ex opere operato. Perſeuerante ſtatu naturæ conditæ probabile eſt fore aliqua Sacramenta. Baptiſmus incepit tantum obligare poſt Solemnem Euangelij promulgationem. Collatus baptiſmus a pluribus miniſtris proferentibus *nos te Baptiſamus*, non eſſet validus ratione formę. Confirmatio habet pro materia non ſimplex oleum, ſed cum balſamo confectum, ita ut hoc ſit neceſſarium neceſſitate Sacramenti. Species panis, et vini ut conotãt Corpus, et Sãguinẽ Domini ſub ipſis contentum, conſtituunt formaliter, ſeu ſunt Sacramentum Euchariſticum, et non ipſa actio Conſecratiua. Mixtio aquæ cum Vino eſt tantum neceſſaria ratione legis Eccleſiaſticæ, aqua prius conuertitur in Vinum, quam in Sanguinem. Forma conſecrationis eſſentialiter conſiſtit in illis verbis, *hoc eſt Corpus meum*, *hic eſt Calix Sanguinis mei*. Si in una ſola Specie fieret Conſecratio, validiſſimũ conficeretur Euchariſtiæ Sacramentũ. Verba Conſecrationis debent recitatiuè, et ſignificatiuè proferri a Sacerdote, hoc pronomen *hoc* in conſecratione panis, et *hic* in conſecratione Vini ſignificant Subſtantiuè, et non adiectiuè, non ſignificãt indiuiduum vagum ſubſtantiæ, ſed indiuiduum entis.

XIX. Inter ſpecies, et Corpus Domini non inuenitur Vnio phyſica, ſed tantum realis præſentia, qua Chriſtus Dominus eſt præſens illis; exiſtentia Corporis Chriſti ſub illis, poteſt intuitiuè videri a quocunque intellectu non ligato ſenſibus, non tamen ab oculo corporeo naturaliter, licet bene ſupernaturaliter, non ut manet modo indiuiſibili, ſed quatenus habens extenſionem de genere quantitatis. Conuerſio panis in Corpus, proprio nomine trãſubſtãtiatio nõ eſt actio productiua, aut con-

ſeruatiua, ſed tantum adductiua, potuitque Corpus in alio rerum ordine habere præſentiam Sacramentalem eiuſdem ſpeciei cum illa, quam modo habet, manente ſubſtantia Panis, et Vini: ſolum tamen de facto manent horum accidentia, non apparenter, ſed realiſſime, non ſunt congeries noua atomorum recentium, ſeu veterum, unde in hoc puncto, periculoſa, ne dicam damnabilis eſt Atomiſtarum ſententia.

XX. Chriſtus dominus per motum localem, aut mutationem ſubſtanſtialem non deſinet eſſe in Sacramento altaris, ſed per ſimplicem mutationem deperditivam præſentiæ ad ſpecies. Omnes ordines habent veram rationem Sacramenti, characteremque imprimunt, et a domino fuerunt inſtituti. Integra materia Sacerdotij eſt traditio patenæ, et calicis cum pane, et vino, manuumque impoſitio facta ab epiſcopo. Valor Miſſæ ſiue ſatisfactiuus, ſiue impetratiuus eſt finitus, et limitatus. Pænitentia ſecunda poſt naufragium tabula habet pro obiecto formali vindictam de peccato: eſtque ſupernaturalis tantum quoad modum. Contritio de peccatis ex motiuo charitatis eſt proxima diſpoſitio ad juſtificandum contritum. Non ſolum propoſitum formale, et explicitum non peccandi de cætero, verum etiam implicitũ et uirtuale ſufficit ad confeſſionem, et contritionem; quæ contritio eſt deletiua peccati non phyſicè, ſed tantũ moraliter, quod non obſtat quominus de facto pænitentia ſit neceſſaria neceſſitate, tam medij, quam præcepti. Licet Chriſtus Dominus inſtituerit modum confeſſionis ſecretum: tamen talis modus non eſt eſſentialis etiam de lege poſita reſpectu confeſſionis, cum aliter poteſt fieri in caſu neceſſitatis. Ad integritatem confeſſionis non ſunt neceſſariò manifeſtandæ circumſtantiæ aggravantes peccatum intra eandem ſpeciem, niſi tales habeant

anne-

annexam aliquam cenſurā &c. Confeſſarius nequit cum pænitentis licentia manifeſtare eius confeſſionem. Materia extremæ unctionis debet eſſe oleum ab epiſcopo benedictum, non tamen neceſſariò debet eſſe ſimplex. Cuius fuit capax glorioſiſſima deipara virgo Maria, licet per omnia immaculatisſima.

XXI. Si nullus eſset in mundo præter religioſos, et religioſas, inire matrimonium ambo deberent ratione ſtatus perſonalis. In lege tantum gratiæ eleuatum eſt ad rationem Sacramenti, cuius incapaces ſunt infideles, etſi coniuges infideles matrimonium ineant ante Baptiſmum, quo ad rationem cōtractus, poſt ſuſceptum Baptiſmum talis contractus non euadit Sacramentum Matrimonij, cuius materia ſunt corpora contrahentium, quorum verba, aut ſigna conſenſum exprimētia ſunt eius forma, et ipſimet induunt rationem Miniſtri, unde ante Tridentinum, clandeſtinum tam ratione contractus, quā Sacramenti fuit validisſimum, nec ad eius validitatem requiritur coexiſtentia Mathematica conſenſuum contrahentium.

XXII. Iure naturali, et Diuino inualidum eſt Matrimonium graui metu contractum. Chriſtianorum omniū eſt indisſolubile cum conſumatum, Matrimonium ratū per diſpenſationem Papę in multis caſibus poteſt diſsolui, ita ut uterque conjugum ſit dexter ad alias tranſire nuptias, peccant mortaliter contrahentes clandeſtino, etiam ubi Concilium tridentinum non eſt receptum. Poligamia ſimultanea legi euangelicæ repugnat, matrimonizatiuè loquēdo Matrimonium compatibile eſt cum perpetua Virginitate.

LAVS DEO BENEDICTO.

Diſputabuntur Publicè, in Eccleſia omnium Sanctorum Florentiæ Reſpondente Fratre Patritio Collino Hiberno artium Lectore ſub aſſiſtentia R. P. Bernardini O Clery, qui ſupra, Anno 1698.
Menſe Die Hora

Z
1037.17

99 957004

1037 17

Ditta SALVAREZZA s.a.s.
RESTAURO
Via A. Cervi 5 - Roma